

## **Dissertatio medica inauguralis de hydrophobia / [Murdo Mackenzie].**

### **Contributors**

Mackenzie, Murdo.

### **Publication/Creation**

Edinburgh : J. Brewster, 1826.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/z4z6cye4>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

*Vincent. Machernie*

---

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

**HYDROPHOBIA.**

---

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS 354

(27)

DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
**HYDROPHOBIA;**

QUAM,  
ANNUENTE SUMMO NUMINE,  
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,  
**D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.**

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,  
ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

**Pro Gradu Doctoris,**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,  
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

**MURDO MACKENZIE,**

**Scoto-Britannus,**

CHIRURGUS.

---

Veniet tempus, quo posterī nostri tam aperta nos nesciisse mirentur.  
SENECA, Nat. Quæst. lib. viii. cap. 25.

---

KALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:  
EXCŪDEBAT JOANNES BREWSTER.

MDCCCXXVI.

DISPENSARY MEDICAL  
INSTITUTE

# HYDROPHOBIA

1848

D. GEORGE BAIN, M.D.



MURDO MACKENZIE

Photo-Duplication

EDINBURGH

BY DUNN JOHNSON & CO.

1848

VIRO OPTIMO

COLINO M'KENZIE,

DE PORTMORE,

ARMIGERO ;

PROPTER AMICITIAM IN SE SUOSQUE

INTEGERRIMAM,

BENEFICIA PERMULTA AMICO ET CONSANGUINEO

DIGNISSIMA,

QUORUM MEMORIA IMO PECTORE REPOSITA

VIGEBIT ;

HOC OPUSCULUM,

TESTIFICATIONEM PEREXIGUAM

OBSERVANTIÆ

GRATIQUE ANIMI,

SACRUM VULT,

AUCTOR.

VIRI DOCTI

# COLLINO MARENZIE

DE PERENNITATE

ALPHABETICO

PROPTER AMPLIUM IN RE SIGILLIS

INSTITUTUM

REPUBLICA TRAVNICENSIS ET COMITATUS



DISCIPLINA

LIBRARIUM MEMORIA IN RE SIGILLIS

LIBRIS

HOC DIRIGENT

INSTITUTIONEM PERENNITATEM

ORIENTALIS

GRATIA ANIMI

ALPHABETICO

ALPHABETICO

JOSEPHO BELL, ARMIGERO,

COLLEGII REGII CHIRURGORUM EDINENSIS SOCIO ;

QUORUM SUB AUSPICIIS

ARTIS MEDICÆ PRINCIPIA DIDICIT ;

HANC DISSERTATIONEM,

PEREXIGUUM ANIMI GRATISSIMI TESTIMONIUM,

PROPTER PLURIMA BENEFICIA ET

CONSILIA,

SUMMA CUM OBSERVANTIA

OFFERT ET DICAT

MURDO MACKENZIE.



JOSEPHO BELL ANATOMIA

COLLEGIUM ANATOMIAE ET CHIRURGIAE IN UNIVERSITATE WURTEMBERGENSI

PROBATA ET APPROBATA

ANNO DOMINI MDCCCXXXIII

HAEC DISSERTATIONEM

PRaesidis Magnifici Viri Doctoris JOSEPHI BELL

PROPTER PRAESENTIAM

CONSTITUIT

PRaesidis Magnifici Viri Doctoris JOSEPHI BELL

ORDINE ET RITU

ORDINIS PRAESENTIUM

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

**HYDROPHOBIA.**

---

Auctore MURDO MACKENZIE.

---

MORBO quem mihi consilium est hic breviter tractandi, vix ullus existit qui periculo et calamitate magis premat, ex numero istorum pene innumerabilium qui corpus humanum afficiunt: quapropter medicorum intentionem gravissimam sibi acriter postulat.

In hâc regione raro quidem apparet, et in quibusdam terræ locis pènitus ignotus est; attamen horribilis et fere immedicabilis hic illic interdum grassatur.

A CULLENO nostro celeberrimo ita definitur :  
“ Potionis cujuslibet, utpote convulsionem  
pharyngis dolentem cientis, fastidium et horror,  
plerumque e morsu animalis rabidi.”

Plurimi plurima de hoc morbo scripserunt ; ita  
tamen discrepant auctores de naturâ ejus opini-  
ones suas proferentes, ut malum plene intelli-  
gere difficile sit. In quibusdam paginarum  
sequentium perpaucium, rabiei historiam brevi-  
ter quidem, sed non inconsiderate tradere cona-  
bor, et in cæteris tractandi hoc perniciosum  
malum modos usitatiores probatioresque narra-  
bo.

Antiquis nota fuisse videtur Hydrophobia,  
nam HOMERUS, in Iliade sua, Hectorem cani ra-  
bido comparantes heroes suos describit. ARIS-  
TOTELES etiam in Historia Animalium ejusdem  
morbi mentionem facit ; sed notiones ejus mini-  
me exactas fuisse oportere videtur, nam huma-  
num genus e morsu canis rabidi morbum ne-  
quaquam accipere asseverat. Ex auctoritatibus  
præstantissimis quæ de hac re existunt, animalia

sola a quibus virus rabidum gigni solet, in genere canino inveniri viderentur, canis familiaris sive domesticus, nempe, Lupus, vulpesque; et in felino genere, felis vulgaris. LET CAT quidem Hydrophobiæ exemplum tradit, in quo malum ex morsu anatis rabidæ originem traxerat, quæ ipsa morbum sponte receperat; pluraque hujusmodi exempla citare possim, nisi talia tradere minime necesse sit, utpote ad nullam finem faustam ducentia. Tam multæ quidem de hoc morbo narrationes quæ fide penitus indignæ esse apparent factæ sunt, ut revera opinionum asseverationumque eorum qui talia scripserunt rationem reddere difficile evadat. Fidem tamen dare fas sit pluribus exemplis morbi nobis traditis, ratione habita auctorum numeri et honoris.

Ex omnibus animalibus ad rabiem proclivitatem habentibus, canis est illud in quo symptomata et progressum ejus maxima cum curâ et diligentia notare nobis liceat. Morum vel habituum ejus gravior aliqua mutatio nobis monitum præbere solet, et quidem signum

rabiei futuræ sæpe certissimum est. In exemplis plurimis aberratio hæcce peculiaris ex proclivitate constat ad stramenta, papyri panniculos, fila, vel ullam rem parvulam sibi obviam in os accipiendam. In uno exemplo ab auctore dissertationis de Cane in **Reesii Encyclopædia** inveniendæ tradito, morbi aditus prædictus fuit, ex cane in catulum felini amorem maxime insolitum accipiente, et caniculæ alius, quæ cum ipso semper aderat narem frigidam continuo lingente. Canes aliqui, morbo jam ingrediente, stercus suum edere, ut etiam urinam lambere solent. Hæc vero appetitus depravatio rabiei signum validum præbere dicitur. In hoc statu tamen, nisi lacessitus nunquam mordere solet. Morbo autem progrediente, oculi humidi fiunt, purisque fluxus copiosior ex palpebris fit. Malo longius progresso, animal valde inquietum evadit, omniaque circa rodendi desiderium magnum sentit. Hoc morbi gradu in animalia peregrina, et præcipue feles, odium gravissimum manifestat; in loco aliquo detentus, effugere assiduo tentat, et si exitum faciat, omnia animalia, sui generis præcipue, sibi obvia mor-

det. Irritabilitas quæ mordere impellit maxima quidem est, sed tamen ferocitate non comitatur, et ad morositatem quam ad furorem propius accedit. Baculum in eum protensum iram ejus magnopere excitat, canique ita se habenti terror vix unquam sine maxima difficultate incutiendus.

Canem, si hominem mordeat, nequaquam confestim occidere oportet, sicut plerumque fit, sed potius ei catenas injicere gratiâ conditionem ejus veram inveniendi, an rabidus revera sit, necne; nam si occisus fuerit, timor gravis in pectore morsi et amicorum ejus cietur, sed tamen, vitâ ejus intactâ, statum quo se habeat facile et cito invenimus. In schola veterinaria Alfortiana, canis ab alio morsus vinculis per quinquaginta dies detinere solet antequam domino suo tradatur, hebdomadis sex spatium temporis constituere ratis post quod canis morsus rabie afficiatur.

Gradu morbi ultimo, animal valde debile fit, saliva ex ore copiose destillat, vixque mordendi

facultatem habet ; morbi vi exhaustus, quinto vel sexto die ab initio mali vulgo moritur.

Corpore secto quæ sese ostendunt sequentia sunt. Cerebri vasa inusitate turgida inventa fuerunt ; fauces, œsophagus, et ventriculus sæpissime inflammatione maculis nigricantibus manifestatâ corripuntur, pulmonesque etiam vasculis refertiores visæ sunt.

#### CAUSÆ.

Causa rabiei remota caligine obscura recondita est, quæ hucusque nunquam disjecta fuit, nec revera, uti timendum est, forsitan unquam erit.

Plures causæ alternis vicibus hunc morbum inducere existimatæ fuerunt ; inter quas recensentur, plagæ quædam, alimenta putrida, aquæ defectus, fames gravis cruciansque. Hæc vero omnia morbum inducere non videntur. Ad hoc probandum MAGENDIE, DUPUYTREN,

BRESCHETQUE plures canes squalore maximo obrutos diu servabant, et hoc in statu defectu cibi et aquæ mori sinebant; nec in uno quidem exemplo inducebatur rabies. Apud urbem Aleppo, ubi canes plurimi ex inopia cibi et aquæ, plagæ calore intolerabili conjuncto perire solent, morbus pepitus ignotus esse dicitur; et in Constantinopoli, DELLANEY testante, ubi morbus de quo agitur vix unquam sese ostendit, vici urbis angusti et male strati semper a gregibus canum magistro carentium et ex stirpe lupina genitorum solis purgantur, qui nocte munus istud utile absolvere solent.

Qualiscunque sit rabiei canes aliaque animalia afficientis causa, humanum genus rarissime vel etiam nunquam nisi per contagionem inficere nunc satis bene intelligitur.

BOSQUILLON morbum semper timoris sequelam esse affirmavit, vel animi cogitationibus impressi. Timorem quidem signa illis quæ in rabie sese ostendunt non multo absimilia haud negamus; sed tamen horum signorum vera li-



neamenta nunquam habere possunt; nam satis manifestum est timorem morbum in inferioribus animalibus nequaquam inducere posse, quippe quæ ratiocinandi facultate non prædita sint, nec in infantibus quippe quorum facultates nondum ita perfectæ sunt ut effectibus animi affectionum deprimentium illos tradiderint.

Alia opinio prolata est, quæ ex hoc constat. Irritationem, dicitur, in parte sauciata permanentem, veneno penitus postposito, morbum inducere posse. Sed si ita res sese habeat, quæstio protinus oritur: Cur non vulnera ab aliis causis inducta effectus prorsus similes efficiant? Principium quoddam contagiosum peculiare existere, ab ullo homine animo ingenuo prædito vix dubitandum est. Et revera multa quæ ad hoc probandum colligi possunt nil dubitationis relinquunt. Homines viginti-tres a lupâ morsos fuisse, memoriæ proditum est, quorum tredecim mensibus paucis post moriebantur, plura etiam animalia ab eadem lupa sauciata. Quomodo hi cuncti symptomata similia habere potuissent, et præsertim liquidorum horrorem, si non

causæ alicujus ab irritatione sola morsuum diversæ effectū laborassent? Narratur porro, homines quindecim, Januarii die vigesimo septimo, anno 1780, a cane rabido morsos esse. Horum decem morsus in cute nuda receperant, quinque vero interpositis vestimentis. Priorum decem quinque vitam amittebant, tribus rabie vera inter Februarii diem vigesimum septimum et Aprilis tertium mortuis, duobus aliis inter Februarii vigesimum nonum et Martii octodecimum. Nisi opinio accipiatur quæ docet morbum a principio contagioso, inoculatione quadam originem trahere, tot mortuorum ex animalium rabidorum morsura causam explicare plane impossibile est.

Quod ad modum attinet quo virus in corpus introducitur, plures opiniones inter pathologos diu extiterunt. Quidam auctores contendunt venenum sanguine misceri, per lymphatica vasa inductum, quæ salivam venenatam absorbent, et ita hanc modo secundo in nervos agere malum perniciosum inducentem. Ab aliis scriptoribus asseveratum est, virus caninum,

si superficiei corporis applicatur, ad morbum inducendum solum sufficere. Exemplum insigne hujuscemodi a FAB. HILDANO datur, quo fœmina labia et linguam tantum parti vestimenti ab animale rabido lacerati applicaverat, et ita venenum receperat; ex quo vero, HILDANO asseverante, mortem excipiebat.

Auctorum vetustiorum fabulæ nos credere inducerent, Hydrophobiam ab animalis rabidi carne in ventriculum recepto communicari posse. Sed quod ad has fabulas attinet, haud dignas fidei esse bene notum est, nam rabiem nunquam incipere constat, ut in quibusdam illorum exemplorum dicitur, intra paucas horas post causam ejus applicatam. Et quidem tales narrationes testimonio PLINII conciliare non possumus, qui dicit antiquos canis vel lupi rabidi hepar in remedium attulisse.

Præter modos supra traditos, complures alii narrantur quibus contagies communicari possit; sed his omnibus bene consideratis, mihi verisimilius apparet, homines a saliva animalis rabidi

in vulnus injectâ dentibus ejus effectum semper accipere, vel a viro quomodocunque superficiem abrasæ applicato.

Quod ad intervallum attinet inter morsum factum et signa Hydrophobiam indicantia præterlapsum, variæ a variis auctoribus opiniones proferuntur. Signa tamen sese ostendere solent inter diem decimum quintum et sexagesimum. Post hoc intervallum periculum plerumque præterlabitur: exempla tamen narrantur quædam, malum multo serius aggredi posse docentia.

Quod ad curam vulneris localem attinet, quæ ad morbum huncce terribilem arcendum applicari solent, sunt excisio, causticum, suctus, et ablutio.

Partis excisio, ubi cito post vulnus illatum fieri potest, remedium fide dignissimum credendum est. Libere fieri oportet; et tantum carnis circumjacentis quantum res tuto sinant abripiendum est. Et revera ob Hydrophobiam

sæpe longum intervallum occupantem post vulnus illatum antequam manifestari incipiat, partes in quas dentes intraverant excidere oportet, etiam si penitus sanatæ fuerint et a dolore ullo liberæ mansissent. Excisione facta, **MORGAGNI** cauterii applicationem laudat, quæ sine dubio prioris remedii efficaciam juvabit.

Caustica ad venenum abolendum interdum adhiberi possunt; sed ut actioni eorum fidem plenam vix dare liceat, excisio plerumque anteponenda est. Acidum oxymuriaticum nuperime strenue commendatum est, et interne et externe adhibendum. **WENDERSTEDT** historiam Angli cujusdam etiam vulgavit, qui se quibusdam temporibus diversis a cane rabido morderi permiserat, et postea morsus hocce acido lavando se a periculo liberaverat.

Homines quidam vulnera animalium rabidorum morsibus illata sugendo olim operam dabant; et hoc modo morbus interdum depulsus fuit. Doctor **BARRY** cucurbitularum usum nuper commendavit, quibus viri in corpus absorptioni

occurratur. Et revera hic modus rationi rerum multo melius respondere videtur, quam suctus per os factus, et quidem semper adhibere oportet, præeunte tamen partis excisione.

Ablutio remedium offert tam simplex, et quod fere semper applicare possumus, et tam utile, ut revera nunquam prætermitti debeat. Hac opinione ita captus fuit celeberrimus Doctor PERCIVAL nuper mortuus, ut omnes a cane rabido morsos monuerit, ad proximum fontem, rivulum vel fossam decurrere, et aquâ ibi inveniendam partem continuo lavare, donec chirurgus ad excidendam eam evocaretur.

Ligaturæ strictæ membro applicatio, supra partem læsam, qua viri transmissio impediatur remedium offert ab actione cujus optima sperare liceat, et quod hominum complurium haud minoris nominis commendationem agnoscit.

Remediorum prophylacticorum, quæ contra hunc morbum adhiberi solent, nullum malo quocunque levando agere videtur, tametsi

ægri animo audaciam instillare solet, quæ revera haud parvæ utilitatis est, et quam confirmare semper omni modo possibili oportet, ita ut attentio ejus a morsu trahatur, qui quidem homines fortissimos quodammodo afficere solet, et sine dubio morbum asperat ubi signa ejus sese ostendere inceperunt.

Si omnia, quæ tentata fuerint, ad impetum hujusce morbi perniciosi avertendum non valeant, medici est ingenium exercitare ad modum inveniendum quo ægri miserandi angorem levet. Pluria remedia variis temporibus adhibita sunt, et eorum nonnulla quod ad operandi modum sibi invicem opposita, simulque tam inutilia ut hucusque medicamentum ignoremus ad Hydrophobiam arcendam aptatum, si morbus compaginem corporis plene occupaverit. Sed tametsi hoc verum est, mediis nostrum est uti; et forsitan hinc olim remedium invenire nobis accidat specificum, quo infortunatos ex periculo a malo terribili imminente eripiamus.

CULLENUS morbum in duos gradus divisit,

simplicem et rabiosum. Horum prior morbi effectus comprehendit antequam liquidorum horror se plene manifestat; hic vero, mutationes extremas. Gradus primus cum dolore incipit in cicatrice partis sauciatae senso secundum Doctoris MARCET asseverationem decursum nervorum potius quam absorbentium sequente, hoc in statu æger tristitia affici solet, et solitudinem hominum concursui anteponit. Morbo progrediente dolorem sentit a vulnere tendentem in regionem cordis, sensu quodam peculiari jugulum et thoracem afficiente. Dolor et gravedo capitis sentiuntur, comitante sensu pressionis in temporibus. Interdum animi dotes augeri videntur: sed in aliis exemplis ægri silentes tristesque fiunt, et de aliquo rogati protervitatem magnam ostendunt. Æger haud raro anxietatem insignem manifestat, vel in desperationem et tristitiam incidit. Hæc symptomata pluraque alia secundum ægri habitum et animi et corporis peculiarem variata, inter sex et duos dies ante gradum morbi secundum, sive illum ex quo constat rabies confirmata, se plerumque ostendunt.



Gradus alter a liquidorum horrore incipit, præcipue si æger conatûs faciat ad illa haurienda, senso—conatûs, qui ægrum in paroxysmum gravem spasmodicum injicere solent, comitantibus inspirationibus altioribus convulsivis. Interdum etiam perturbationem similem ab aliis causis subit, sicut e motu quamvis minimo, aere frigido afflante—quæ vero ægrum irritabilitate gravi nervosa affici satis docent. Hoc statu quoque somnus penitus effugit; et paroxysmi vehementes anxietatis et vociferationis strenuæ ex causis levibus superveniunt. Haud raro accidit statum venire quo liquidorum horror quodammodo minuitur, vel etiam penitus cessat, ægerque bibendo situm extinguit; ita ut rabiem existere dubitandum sit. Status hicce vero perbrevis est, horrorque fluidorum omnem vim nactus priorem revertitur, aliis morbi signis simul evidenter auctis. Proclivitas ad mordendum rarissime existit, et si ægri animus ita turbetur ut a mordendo abstinere nequiat, adstantes de periculo eorum plerumque probe monet. Finem morbi versus, pulsus tenuis, debilis celerque evadit, membra frigescunt, omnia lan-

guescunt vitæ munera, morsque ægrum corripit desideranda.

### SECTIO CADAVERIS.

Mortuis ex hydrophobia vehemente sectis, quæ videntur viri hujusce morbi actionem ad mutationes morbosas inducendas in partibus, quæ magna corporis cava vocantur, bene manifestant. Cranii portione superiore ablata, vasa duræ piæque matris præter solitum turgefata inventa sunt, ut etiam plexus choroides. Trachea et præcipue bronchia in statu inflammationem indicante visa sunt, pulmonesque sæpe similiter affecti, et interdum emphysemate correpti; quod vero M. TROILLET cellulis aeris ab inspirationis nisu convulsivo ruptis causam habere censet. Ventriculus nec non æsophagus inflammati inveniuntur, priore maculas nigras in superficie interna ostendente, et plerumque fluidum fuscum sedimento coffeæ simile continente. In quibusdam exemplis tamen nulla signa morbosareperiuntur.

Historia Rabiei nunc quamvis imperfecte tradita, remedia unaquaque temporibus variis adhibita enumerare oportet. Omni medico revera dolendum est, artem suam vix ullam hactenus ægro infelici hoc morbo pessimo laboranti spem dare.

### REMEDIA.

Sanguinis emissio sæpe in usum evocata est, ob Hydrophobiam malum esse inflammatorium existimatam. Plures homines insignes hanc opinionem foverunt; sed exemplis traditis usum remedii hujusce ad finem optatam res adduxisse non apparet. Si ullum vero beneficium ex eo afferri potest, sub initio morbi uti oportet, signis vix adhuc rem plane manifestantibus. Dominus SYMON Doctorque SCHOOLBREAD Calcuttensis exempla narrant quibus emissio sanguinis abnormis finem felicem induxit sub initio morbi adhibita. Hujusce remedii vero utilitatem quamdam adferre potest, nam fluidorum circulantium molem minuit, et hoc modo venenum jam absorptum opibus privat

quibus impulsus perniciosum in totam corporis fabricam exerceat.

Hydrargyrus a pluribus scriptoribus commendatus est; et quidem usque ad gradum quo os afficere solet adhibitus est, progressu morbi tamen nullam interruptionem evidentem patiente. Antispasmodica ab illis, qui morbum ex systematis nervosi affectione causam habere censuerunt, laudata sunt. Opium copiose adhibitum fuit; sed effectus solitos felices non induxit, nec morbi vim, nisi per brevissimum temporis spatium levavit. Acido hydrocyanico eadem ratione uti propositum fuit; sed ex quibusdam experimentis a DUPUYTREN, MAGENDIE, BRESCHETQUE institutis ad effectus ejus in canes pertinentibus visum est exitus ab illis parvos huic remedio spem vix dare. Præter hæc, moschum, camphoram, assamfœtidam, alkali volatile, inter remedia antispasmodica contra hunc morbum adhibita enumerare liceat. Sed hæc omnia plane inutilia sunt.

In uno exemplo a Doctore JOANNE HUN-

TER curato arsenicum ab eo strenue laudabatur; sed adhibitum nullam mutationem faustam efficiebat. AGRICOLA usurpatum fuisse in temporibus suis asseverat; sed modi, quibus adhibitum fuit, rudes erant incommodique, et sine exitu secundo vel levissimo fuisse videntur. Dr. MARCET modos elegantiores quibus nunc remedium hocce adhiberi potest plene tentavit; sed beneficium nullum ex eis insecutum est.

Quousque emetica utilitatem adferre possint, haud facile intellectu est. Forsan vero non tam plene adhibita sunt, quam ut ad opinionem veram de viribus eorum felicibus formandam nos tuto ducant. Doctor SATTERLY exemplum in Actis Societatis medicæ narravit, quod rabiei esse censuit, quo vomitus ex morbi initio excitatus fuit, et revera, secundum observationes ejus, commodum evidens secutum. Exemplum vero dubium est, ex narratione ejus vix rabiei fuisse planæ videtur. Æger tribus mensibus ante a cane morsus fuerat. Canis vero historia penitus ignota erat. Ægrotus

liquida bibere etiam sine incommodo magno perrexit; et quidem non nisi post septimanam absolutam a tempore quo morbus impetum ejus fecerat mortuus est. Quæ omnia in exemplis rabiei rarissime accidere solent.

Nitras argenti in uno exemplo a Doctore POWELL prolato adhibitus fuit, et de hac re ipsius verbis uti liceat. "All the modes of practice," inquit ille, "which occurred to my recollection, had been unsuccessful after the appearance of Hydrophobia. Having a conviction founded on experience, that the nitrate of silver is a most powerful medicine in some other diseases of irritability and irregular convulsion, and because it could be conveniently and safely given in the form of pills, I determined upon trying its effects in the present instance, and accordingly directed that the patient should take at first one grain every hour. The dose was afterwards increased, and she took in the whole fifteen grains, without any sensible effects. It was consequently discontinued, and the patient died in a very short time after-

wards, so that this remedy stands upon no stronger basis than any of the others."

Cantharides ut et nicotiana etiam commendata sunt; sed adhibita nullum beneficium hactenus præbuerunt. Medici Finlandici per sanguinem animalis rabidi in compagine hominis malo laborantis introductum Hydrophobiam feliciter curare tentaverunt. Doctor RITHMEISTER Powlockensis dissertationem edidit, quâ plura morbi exempla collegit, variasque auctoritates dedit, quibus probare conatur sanguinem canis rabidi in corpus ingestum specificum esse contra rabiem caninam, prementibus etiam signis ejus gravissimis.

Medicamentum Ormskirkianum remedium est quod strenue laudatum fuit, et ex creta, bolo Armeniano, aluminis sulphate, inulæ radice, oleoque anisi confici videtur. Dosis hujusce compositionis in cyatho aquæ calidæ per sex dies consequentes mane ingerenda fuit. Nobis tamen perhibere nullum beneficium ab ea afferri posse vix necesse est. Doctor HEYSHAM

laudator ejus exempla plura quibus spem fefellit agnoscit ; illaque quibus profuit ad morbum rabidum verum minime referenda sunt.

De remedio alio nobis mentionem facere liceat, illo nempe quod nomen vernaculum *Tonquin powder* agnoscit. In hanc regionem primum a COBBIO quodam invectum fuit, ex quo nomen Pulveris Cobbii etiam obtinuit. Ex Hydrargyri sulphureto et moscho constat ; et in paululo spiritûs “ Arrack ” dicti sumendum est. Hujusce medicamenti dosis ægrum somno profundo obruisse sudoremque liberum excitasse post horam unicam sive duas dicitur. Fama ejus vero caduca fuit ; et nunc specificorum omnium aliorum fictorum sortem participavit, et oblivione penitus obrutum est.

Præter remedia jam enumerata, plura alia commendata sunt ad curandum huncce (uti mihi dicere liceat) fere immedicabilem morbum. Remediorum diversitas magna prorsus inefficacia omnia esse nos solummodo certiores facit.



Hanc de Hydrophobia dissertationem imperfectam ad finem nunc aducam, memorando, quod revera tristissimum est, nullum, etiam unicum, rabiei veræ exemplum, quod narratum mihi usquam vidisse accidit, medicamentorum viribus penitus cessisse; et idcirco omnia rabiei veræ exempla, quantum quidem mihi notum est, ægri infelicis morte desiisse.

FINIS.